

liberalem inperitur assensum, et sanctitatis vestre status attollitur et ex eo devocio crescit et iteratur fervencius subditorum. Proinde cum ex disconvenienciis inter vos et serenissimum principem et dominum nostrum Lud(wicum) Romanorum imperatorem diucius iam subortis conveniens ecclesie status multifarie sit turbatus et fidei unitatis in parte perierit rectitudo, ad vestre sanctitatis audienciam deducimus per presentes, de iure antiquo et consuetudine approbata in partibus Germanie semper sic fuisse laudabiliter observatum, quod Romanorum reges, postquam per principes Alemanie electores imperii fuerint electi, presertim post coronacionem regalem eorundem electorum in reges in sede magnifici Karoli Aquisgrani habitam, pro veris Romanorum regibus sunt habiti et debita reverencia honorifice reputati, sic quod extunc inmediate tanquam veri Romani imperii amministratorum pro suis iuribus, rebus et honoribus observandis et augustiali^a clemencia gubernandis debitis signorum victriciis triumphabant^b ac singula exercebant, que sui exigencia officii exequi poterant et debebant, eciam si electiones huiusmodi contigebat^a a pre-tactis principibus [in discordia]^c celebrari, licet pro tunc summis pontificibus huiusmodi suam electionem aliquialiter nunciarent, ut coronacionis imperialis sollempnia sibi debito tempore inperderent requisiti. Sanctissimus pater dominus noster dominus Iohannes papa defunctus, predecessor vester, post hec absque causa, ut putamus ignarus, eadem consuetudine non attenta, contra prefatum dominum nostrum, principem cristianissimum et fidei orthodoxe defensorem et precipuum dilectorem, prout ipsius actus catholici et vita commendanda evidenter demonstrant, tanquam illegitime citatum, necnon contra omnes et singulos eidem in amministracione regni et imperii predictorum dantes consilium, auxilium vel favorem diversos promulgavit successive processus, sentenciis penisque variis subsecutis, in ipsius sacrique Romani imperii humiliacionem et iacture preiudicium satis grave ac plurimorum cristicolarum periculum et ruinam. Cum itaque dominus noster Lud(wicus) predictus de offensis, quas sedi apostolice occasione dictorum processuum irrogavit, sanctitati vestre ac eidem sedi satisfactionem et emendam offerat congruentes, prout ex lega-

a) So Or. b) Es hat doch wohl heissen sollen: 'debitis signorum victricium triumphis triumphabant'. c) So nach n. XX zu ergänzen, obwohl die Vorlage keine Lücke hat. Ohne diesen Zusatz hätte 'eciam si' gar keinen Sinn.